

320
148

Viro Celeberrimo, Amicissimoque
IOH. ERNEST. IMMANVELI WALCHIO

S. P. D.
Christoph. Saxius.

Dudum est, cum literas, non modo singularis Tuae erga me benivolentiae, sed etiam Vigiliam
in qua manes, literariae incundissimas accepi nuntias. In his potissimum spem feceras, Te
curaturum, ut Dei Taranenii, antea valde obscuri, nunc in clarissima luce collocati memoriam
Tuo beneficio cognoscerem. Id nomen liberaliter a te factum non summa modo fide dissolvisti
ipsius quippe libelli, quem promiseras, copia mihi ante aliquot dies per nobiliss. Sandifortium
facta, sed aliis etiam manusculis perofficiose expeditum mihi cumulatissime probasti. Cuius
quidem multiplicis tuae benignitatis causa summas & ago tibi & habeo gratias. Mihi certe
Taraneus ille tuas vehementer placuit cum splendida chartae & typorum venustate,
tuum ingenii & eruditionis tuae elegantia mire commendabilis. Similem afferebant volup-
tatem Antiquitates tuae Nauticae, nec minori suavitatem perfundebar, cum Diptycha
Academica de veterum Theologis, et Catonis maioris versatili ingenio legerem, unde
clarissimis argumentis didici, Te cum paucis hodie in Germania mea veram literarum
dignitatem tueri. Utinam vero beatam scribendi facilitatem vestram iuvare nobis li-
ceret, haberem sane, quod referre possem. Sed cum in scholis apud nos domesticis plus operae,
studii & temporis, quam vulgo creditur, consumi more & legibus debeat, publice languidos
& defides videri nos oportet. Interim quae mihi visa sunt bonarum artium capita, sive
vulgari hominum eruditorum iudicio lubrica, sive arcepi testium fide dubia, sive accura-
tius definienda, uno verbo, quaecumque in disceptationem vocari possunt & solent, singulari
Quaestionum Academicarum libello descripsi & notavi, ut sic scholarum & opinionum mea-
rum rationem Batavis et Germanis meis redderem. Quae locorum controversarum
sylloge iussu meo ad te missa, si tibi, viro acutissimo, non displicuerit, habebis sane, de qua
mihi gratuler. Sigillum Medici ophthalmii Romani elegantissimis observationibus tuis il-
lustratum me recte accepisse, memini me alio loco Te certiorum facere. Alterius vero non
Synagmatis chartas nec vidi, nec rationem teneo. --- Lorium virum bonum, & spectatae
integritatis fuisse nunquam dubitavi, eamque imbecillitatem animi, quae erat in primae
editionis gloria uti diu cognitam perspectam habui, sic ceteris eius virtutibus, bonis-
simaeque de literis bene merendi voluntati libens condonari. Neg tamen querulorum eius
de mea, si Diis placet, morositate sermonum promulgatione operaret. Id fatens habeo
me nihil commississe, ut huius ego Mikeo dynias iure accusarer. Sed ad has voculas
iam proptus occallui. Equidem, si quantum me amasti, & amas, tantum Te amare
debeo, officij certe & studio efficere conabor, ut nostra inter nos coniunctio animorum
perpetuis ligetur vinculis. Ita optime vale, Humanissime WALCHII, Tuoque
Spuorv'ys Parentem, meritis & aetate venerabilem, Fratresq, suis quemque
virtutibus florentem meo nomine Salve! Traiecti Batavorum d. XXI. Septembris

1710 CCLXVII.

Professor Eloquentiae in vtriusq.